

1590
*Parisien-
 sis Senatus
 editum
 contra eos,
 qui de con-
 cordia ver-
 basacerent.
 Parisien-
 sis plebis tu-
 multus ad
 pacem pe-
 tendam.*

animi, ut decimo octavo kal. julii Parisiensis Senatus jussu (quem a Guisiorum atque Hispanorum nutu agi constabat) editum, necis poena in eos, qui de concordia verba haberent, pronuntiaretur. Ceterum plebs natura insolens, momentoque, pelagi instar, modo tolli, modo deprimi assueta, ærumnarum jam pertæsa, magno concursu ac tumultu ad ædes publicas accedit, pacem petit. De eo plebis motu duces antea certiores facti, cum spe, tum lenissimis verbis furentes sistunt. Per decem circiter dies tempestas compressa est: iis exactis, majori numero armati conveniunt, aut pacem aut panem efflagitant. Palatii fores magistratus jussu clauduntur; armati in carcerem trudentur; ex quibus, ad metum plebi incuriendum, bini statim laqueo appensi.

*Parisien-
 sium decre-
 tum de con-
 cordia cum
 Rege agita-
 da.*

Eo eventu moniti foederis principes, ac, ne populari procella cuncta perveterentur, præveniendum rati, cum primoribus civitatis de rerum præsentium statu consilia ineunt. Post varias sententias, nulla Sorbonici collegii, nulla nuper edicti habita ratione, ut Lutetiæ Lugdunique Archiepiscopi, pontificio legato permittente, ad Regem proficiscantur, deque concordia agitent, decernunt. Id antequam fiat, Panigarolæ, Bellarminii, Jesuitarumque collegii rectoris sententias legatus exquirat: *an si fame coacti Parisienses hæretico sese Principi dederint, anathematis sententiam subeant; an qui, ut ad præscam religionem convertant, Ecclesiæ catholice rationes tueantur, augeant, eum adierint, Xysti V. diplomate comprehendantur.* Fieri hæc omnia tuto posse, nulla ex parte conscientia læsa, decernunt. Tum Antistites Regem ad-
 unt; quæ in mandatis habent, exponunt: *pacem totius regni, si Maynius adsentiatur, petunt; sin abnuat, cum Parisiensibus tantum concordiam efflagitant.* Tum Rex, *pugnancia secum dicere, inquit, dum pacem ab eo postulant, quem Navarræ tantum Regem agnoscere velint: cupere se quidem, ut qui maxime, pacem, qua afflictis populis succurrat; non tamen iis conditionibus placere: Lutetiam diligere; majora, modo ne Maynio, aut Hispano, sed sibi ipsi accepta ferant, concessurum: inique eos agere, qui, dum publicam pacem postulantes ad Maynium mittunt, Parisien-*
 ses

*Henrici
 Regis re-
 sponsum.*